

divina, prout teste Abbate, in c. *Cum contin- gat.* h. t. n. 16. et Fagnan., in idem, n. 20. et 32. concedunt omnes arg. can. *Questi.* cau. 16. q. 1. et c. *Ad apostolica.* 20. h. t. ibi: «*Æquum est, ut decimæ perso- nales illi reddantur Ecclesiæ in qua eccle- siastica percipiuntur sacramenta.*» Nec in contrarium est declaratio sacræ congrega- tionis, utpote quæ de solis prædialibus inter- rogata, de iisdem solis dedit responsum, teste Fagnano, loc. cit. tunc temporis exis- tente sacræ congregationis secretario.

107. *Episcopis debetur quarta de singulis de- cimis.* — Quæritur II. An, et quando hodierno jure communi etiam episcopis solvi debeant decimæ? Resp. I. De jure communi debetur episcopo quarta de singulis decimis. Abbas, in c. *Cum contingat.* 29. num. 7. h. t. et ibi Fagnanus, n. 23. ubi affert Rotæ decisiones, et ait esse communem omnium fere docto- rum contra Glossam, in cit. c. *Cum contin- gat.* h. t. §. *de Jure communi.* textus expres- sus est in c. *Conquerente.* 16. *de Offic. judic. ordin.* ubi inter jura episcopis competentia numeratur quarta decimationum. Concordat, c. *Quoniam.* 13. eod. ubi jubetur episcopus decimas Ecclesiæ parochiali restituere, «*sua sibi parte quarta nempe retenta,*» et c. *de Quarta.* 4. *de Præscript.* ubi etiam habetur, quod clerici, præsertim parochi (ab is enim episcopus quartam de decimis jam collectis accipit, prout post Abbatem bene observat Barbosa, *de Offic. et potest. paroch.* part. III. cap. xxviii. §. 2. num. 41.) quadragenaria præscriptione immunes se reddere possint a solvenda episcopo quarta decimarum ibi: «*De quarta decimæ clerici ab impetitione quadragenaria præscriptione temporis se posse tueri videtur.*» Et quoniam eadem quarta sola dispositione juris humani epis- copis debetur, etiam consuetudine locorum tolli potest, arg. c. *fin. de Consuetud.* atque de facto multis in locis est sublata.

108. *De quibus habet fundatum intentionem.* — Porro sicut juxta dicta n. 100. parochus ratione decimarum ita etiam episcopus ra- tione quartæ earumdem, fundatam habet intentionem, Barbosa, loc. cit. n. 10; Fagna- nus, loc. cit. n. 23. et communis doctorum arg. c. *Dudum.* h. t. intuitu cujus tamen ei- dem mandatam de manutenendo non debetur, nisi probet, se aliquo saltem tempore in possessione fuisse, ob jura, et rationes su- pra n. 101. in simili de Parochis allata.

109. *Enumerantur casus, in quibus episcopo*

*debentur integræ decimæ.* — Resp. II. Dantur aliqui casus, in quibus soli episcopo solvi debent integræ decimæ. Patet inductione: sic enim. I. In diocesisibus, in quibus nulla existit divisio, vel distinctio parochiarum, soli episcopo debentur, quemadmodum eas- dem olim percipiebat, non quidem, ut sit; soli eas reservet, sed ut eas fideliter distri- buat conformiter dictis n. 92; Fagnanus, loc. cit. n. 29; Barbosa, loc. cit. n. 15; Ab- bas, in c. *Cum contingat.* h. t. n. 7; Poteus, decis. 374, n. 6, lib. I, et communis aliorum, arg. can. 1, cau. 16, q. 7.

110. II. Quando sunt in diocesi prædia, quæ intra nullius parochiæ assignatos limites existunt, seu nulli certæ parochiæ sunt assi- gnata. Fagnanus, loc. cit. n. 28; Barbosa, loc. cit.; Abbas, loc. cit. n. 7; Pirhing, h. t. n. 79, et communis aliorum, arg. c. *Quo- niam.* 13. h. t. in fine. Ratio est, quia si prædia intra nullius parochiæ limites exis- tunt, censentur esse sub potestate episcopi, juxta antiquam juris dispositionem dividen- dæ, uti bene observat Glossa, in c. *Cum contingat.* h. t. §. *Jure communi,* arg. cit. can. 1, cau. 16, q. 7.

111. III. Quando episcopus est etiam im- mediatus pastor, sive curatus in aliqua certa parochia, quam per vicarium administrat, sive dein hæc sit Ecclesia cathedralis, sive alia parochialis. Fagnanus, loc. cit. n. 2; Pirhing, loc. cit. n. 79, et alii. Ratio est, quia hoc ipso, quod in aliqua parochia sit ipse immediatus pastor, sicque parochus, gaudet etiam juribus parochi, inter quæ est perceptio decimarum.

112. *Etiam aliis clericis beneficiatis debentur decimæ: et quando?* — Quæritur III. An etiam, et quando aliis clericis præter episco- pum et parochum de jure solvendæ sint de- cimæ? Resp. Etiam clericis beneficiatis non curatis, puta, canonicis cathedralibus, colle- giatis, ac aliis simplicia beneficia habenti- bus, de jure communi solvi debent decimæ secundum eam portionem, quæ eorum men- sis vel beneficiis legitima auctoritate eccle- siastica est assignata; sicut et quando eorum beneficia ex decimis legitime sunt fundata. Suarez, lib. I, cap. xxix, n. 3; Pirhing, h. t. n. 81, et alii, arg. c. *Ex part.* 21. h. t. ubi mandat pontifex, ut etiam canonicis decimæ solvantur absque diminutione. Ratio est, quia non tantum curatis, sed etiam clericis Ecclesiæ ministris in genere, ut sui loco de- cimæ solvantur, præcipit Deus, arg. c. *Tua*

*nobis.* 26, h. t. relinquendo Ecclesiæ, ejus- que rectori principali, Papæ nempe, tan- quam suo in terris vicario, ut præfatas deci- mas clericis Ecclesiæ ministris rite distribue- ret; consequenter si legitima Ecclesiæ auc- toritate præfatis clericis certæ decimæ sunt assignatæ, eisdem omnino debentur. Acce- dit, quod non tantum in administratione cu- ræ, sed et in aliis, clerici Ecclesiæ ministri servitia spiritualia exhibeant, et propterea etiam digni sint mercede.

113. *Secus est de non beneficiatis.* — Cleri- cis tamen non beneficiatis decimæ aliquæ ratione solius status clericalis in jure assi- gnatæ non reperiuntur; adeoque, nisi spe- cialem titulum exhibeant, decimæ eisdem de jure communi non debentur: quod idem etiam de religiosis qua talibus dicendum, eo quod nec isti, nec illi ex vi sui status, vel ex obligatione alicujus officii spiritualis, populo in spiritualibus inserviant, aut spiritualia administrent, arg. can. *Alia causa.* 6. can. 68. cau. 16. q. 1. ad quod tamen in divide- dis et assignandis decimis respicere solet Ecclesia: quod non obstante saltem aliis titulis, v. g. præscriptione, privilegio, etc., jus decimandi acquirere valent, juxta dicen- da § seq.

114. *Decimæ solvi debent clericis Ecclesiæ ministris, etsi hi sint divites.* — Quæritur IV. An episcopis, parochis, et aliis clericis Ec- clesiæ ministris solvi debeant decimæ etiam in casu, quo ipsimet sunt divites, et aliunde jam sufficientes, vel abundantes habent red- ditus, aut media? Resp. affirmative, Covar- ruias, lib. I. *Variar. resolut.* cap. xvii, n. 4; Vallensis, h. t. §. 6. ad finem; Pirhing, eod. n. 82, ac teste Covarruvia, omnes. Ratio est, tum quia decimæ clericis non dantur ex eo, quod pauperes sunt, sed quia Deus præcipit, ut in signum supremi dominii sui loco den- tur clerici juxta Ecclesiæ dispositionem. arg. c. *Tua nobis.* 26. h. t. et quia spiritualia ministrant, nullus autem propriis stipendiis militat, etsi dives sit: nec debet aliquis pri- vari jure suo, ex eo, quod dives sit. Accedit, quod clerici decimas honestæ sustentationi superfluas erogare teneantur in causas pias, et pauperes, «*Decimæ namque tributa sunt egentium animarum,*» can. 66. cau. 16, q. 1. ubi propterea etiam dicitur, «*Decima defraudantes pauperibus præjudicare.*»

115. *Vel male vitæ.* — Pariter debentur clericis decimæ, etsi male vivant, aut in ma- los, ac profanos usus eas applicent, uti bene

notat Abbas, in c. *Tua nobis.* 26, h. t. n. 1; Vallensis, eod. §. 9, n. 13; Rebuffus, *de Deci- mis.* q. 13, prin.; Pirhing, h. t. n. 82, arg. cit. c. *Tua nobis.* 26, h. t. ubi Papa increpat laicos, qui decimas ob malam clericorum vi- tam defraudabant. Addit rationem, quia nempe decimæ in signum supremi dominii clericis sui loco Deus dari præcepit. Nec ex- cusantur per hoc, quod dicant laici, se eas- dem pauperibus, et in his Christo dare, con- sequenter melius agere, quam si clerico in malos usus applicandi solverent, arg. cit. c. *Tua nobis.* 26. h. t. ibi: «*Prætextu nequitiae clericorum nequeant eas pro suo arbitrio pauperibus, v. g. erogare: cum nulli sit licitum aliena cuiquam concedere præter Domini voluntatem.*»

## § VI.

DE VARIIS MODIS, QUIBUS CLERICI JUS DECIMANDI ACQUIRERE POSSUNT.

116 et 117. *Clerici acquirere possunt jus deci- mandi privilegio, transactione et compositione.* — Quæritur I. Quibus modis clerici acquirere valeant jus decimandi, quod alias ipso jure eis non competet? Resp. Variis modis cle- rici acquirere possunt jus decimandi. Patet inductione. I. Acquirere illud valent «*Papæ concessionem, seu privilegio,*» quo fit, quod decimæ alias de jure ad parochum spectan- tes solvi debeant Ecclesiæ non parochiali, v. g. regulari, aut beneficiato simplici. Com- munis, ac certa, arg. c. II. h. t. in 6. Ratio est, quia cum jure divino cuncti clerici sint capaces juris decimandi, arg. c. *Tua nobis.* 26. h. t. utique poterit Pontifex, cui juxta dicta n. 92. divisio decimarum inter clericos faciendæ concessa est, aliquibus assignare jus decimandi, quibus alias de jure assigna- tum non est; præsertim si bonum Ecclesiæ id exigere dignoscitur.

II. Acquirere jus decimandi valent per transactionem et amicabilem compositio- nem: ut, si v. g. lis oriatur, ad quem ex pa- rochis, vel aliis clericis Ecclesiæ ministris, vel etiam religiosis pertineant decimæ, pos- sunt partes litigantes transigere, et compo- nere, ut decimæ alias uni parochi v. g. de- bitæ dentur alteri, vel certa pars earum Glossa, in c. *Ex multiplici.* 3. h. t. §. *Con- ventionem;* Barbosa, *de Offic. et potest. paro- chi.* p. III, cap. xxviii, n. 24; Rebuffus, *de Decimis.* q. 13. n. 26; Pirhing, h. t. n. 120:

Layman, lib. IV. tract. VI. cap. vi. n. 1. et communis aliorum, arg. c. *Ex multiplici*. 3. et c. *Suggestum*. 9. h. t. dummodo pretium pro titulo spirituali non interveniat, prout communiter monent doctores eo quod temporale dare pro spirituali simoniacum sit, tot. tit. *de Simonia*.

118. *Quæ ut obliget successores, debet fieri cum consensu superiorum: secus obligat solos transigentes. Pacta an et quando præjudicent successoribus?* — Observat tamen bene Glossa, cit.; Barbosa, loc. cit.; Abbas, in cit. c. *Ex multiplici*. h. t. n. 2; Layman, loc. cit. et alii, quod ad hoc, ut talis compositio seu transactio sit perpetuo obligans etiam successores, fieri debeat cum legitima auctoritate et consensu superiorum, arg. c. *Veniens*. 8. *de Transact.* ubi declaratur, successores non teneri stare transactioni super decimis facta absque auctoritate legitima superioris. Concordat, cap. II. eod. ibi: « Statuimus, ut si super decimis inter vos, et aliquam personam ecclesiasticam de assensu episcopi, vel archiepiscopi facta fuerit rata, et inconcussa persistat. » Nihilominus talis transactio seu compositio super decimis absque consensu facta, valeat inter ipsas personas transigentes, prout cum Glossa docent citati doctores Fagnanus, in cit. c. *Veniens*. n. 2. et secundum Joan. Andream hic omnes, arg. cit. *Jurib.* ut proin per talem transactionem quis sibi ipsi, quandiu ecclesiam possidet, præjudicare valeat, successorem vero sine consensu superioris gravare nequeat. Ratio datur cit. c. *Veniens*. 8. h. t. illis verbis: « Cum inter personas facta potius, quam inter Ecclesias videatur; nec pacta inter alios acta, aliis obesse patiamur, » quod idem colligitur ex concilio Tridentino, sess. 6. *de Reform.* cap. IV. ibi: « Concordiis, quæ latum suos obligent auctores, non etiam successores. »

119. *Transactio super decimis extendit se etiam ad futuras.* — Cæterum, quando fit transactio absolute ac indefinite super decimis, intelligi debet non tantum de præteritis et presentibus, sed etiam de futuris, ut bene observat Glossa, in cit. c. III. h. t. §. *Quandiu viveret*; Pirhing, h. t. n. 120, arg. c. *Quocrea*. 12. *de Privileg.* Hinc etsi monasterium v. g. cum parcho super decimis indefinite transigat, eadem transactio se etiam ad illa prædia extendit, quæ de novo acquirunt.

120. *Etiam per compromissum acquirunt*

*decimas, in quo tamen laicus solus compromissarius esse nequit. Laici nequeunt spiritualia tractare negotia.* — III. Acquiri potest jus decimandi per compromissum in unum, vel plures arbitros, ita, ut eorum sententiæ seu arbitrio stare possint, ac debeant, casu quo in casu decimarum litigantes, seu disconvenientes in eos compromittant. Abbas, in c. *Apostolicæ*. 7. *de His, quæ fiunt a prælat.*; Layman, lib. IV. tract. VI. cap. vi. n. 4; Pirhing, h. t. n. 123. et alii, arg. c. *Apostolicæ*. *de His, quæ fiunt a prælat.*; et cap. I. *de Arbitr.* Debent tamen arbitri esse clerici, non laici, eo quod generaliter sit prohibitum, ne super rebus spiritualibus compromittatur in laicum, ut dicitur c. *Contingit*. 8. eod. ubi etiam ratio additur illis verbis: « quia non decet, ut laicus in talibus arbitretur. » Concordat, c. II. *de Judiciis*, ibi: « Decernimus, ut laici negotia ecclesiastica tractare non præsumant. » Quo non obstante potest unus vel plures laici, superioris ecclesiastici auctoritate una cum clerico compromissarius fieri; prout notat Glossa, in cit. c. *Contingit*. 8. *de Arbitr.* vers. *Spiritualibus* et docet Abbas, in c. *Per tuas*. 9. eod. n. 6; Layman, loc. cit. et alii, arg. cit. c. *Per tuas*. 9. eod. n. 6; Layman, loc. cit. et alii, arg. cit. c. *Per tuas*. 9. eod. Ratio est, tum quia tunc magis dignum, clerici nempe, trahit ad se minus dignum, laicum videlicet, ut sic res potius valeat, quam pereat, arg. c. *Quod in dubiis, de Consecrat. Eccles. vel alt.* et c. *Abbate, de Verb. signif.*; tum quia tunc laicus aliquo modo auctoritate ecclesiastica sibi delegata procedit, prout dicitur cit. c. *Per tuas*. 9. *de Arbitr.*

121. *Compromissio fieri debet cum juris solemnitate.* — Illud etiam observandum, quod compromissio super jure decimarum fieri debeat cum consensu superioris ecclesiastici, et aliis solemnitatibus ad alienationem a jure requisitis. Abbas, in c. *Dilecti*. 4. n. 8. *de Arbitr.*; Layman, et Pirhing, loc. cit. Ratio est, quia ex hoc, quod ipsa alienatio directe sit prohibita, indirecte censetur etiam prohibitus omnis actus, per quem deveniri potest ad alienationem: « Nam cum quid prohibetur, prohibentur omnia, quæ ex illo sequuntur, » reg. 39. *de Reg. jur.* in 6. tale quid autem est etiam compromissum, ut consideranti patet.

122. *Quæ etiam ad permutationem decimarum requiruntur.* — IV. Acquiri potest jus decimandi permutatione, qua upa Ecclesia

cum altera decimas pro decimis, vel alio jure spirituali permutat, arg. c. *Ad quæstiones*. 6. et c. *fin. de Rerum permut.* juncta Glossa, *Ibid.* vers. *Temporalia*, docetque communis. Requiritur tamen etiam ordinariæ juris solemnitates ad alienationem rerum ecclesiasticarum necessariæ; eo quod et ipsa permutatio inter species alienationis expresse numeretur, c. *Nulli*. 5. *de Rebus Eccles. alien.*

123. *Sicut ad donationem decimarum. Episcopus non potest jus uni Ecclesiæ auferre, et alteri attribuire.* — V. Acquirere potest clericus jus decimandi donatione: dummodo adsint debitæ juris solemnitates ad alienationem requisitæ, eo quod donatio vel maxime etiam numeretur inter species alienationis, cit. c. *Nulli*. 5. *de Rebus eccles. alien.* quæ tamen solemnitates non requiruntur, sed sufficit solus episcopi consensus, si laicus Ecclesiæ, vel loco religioso decimas donat, textu expresso c. *Cum Apostolica*. 7. *de His, quæ fiunt a prælat.* ubi etiam additur, quia nempe « aliud est alienare, quod ab Ecclesia possidetur, et aliud, quod detinetur a laico ad usum ecclesiasticum revocare: » subjungitur tamen in eod. c. *Cum Apostolica*, hoc intelligi debere, quod videlicet sufficiat solus consensus episcopi « de illis decimis, quæ laicis in feudum perpetuo sunt concessæ: » supple, « et illis, quas alias justo titulo possident. » Non item de illis, quas laici injuste possident; hæ enim necessario restitui debent illi Ecclesiæ, ad quam spectant, ut bene notat Glossa, in cit. c. vers. *In feudum*. Ratio est, quia episcopus sola auctoritate sua non potest jura uni Ecclesiæ auferre, et alteri dare, arg. c. I. *de Rebus Eccl. alien.* quod idem etiam habetur c. I. *Cum Apostol. de His, quæ fiunt a prælat.*

124. *Clericus acquiri decimas etiam præscriptione.* — VI. Acquirere potest clericus præfatum jus decimandi præscriptione, prout habet communis ac certa, arg. c. *Cum sint*. 18. etc. *Ad Apostolicæ*. 20. etc. *Cum contingat*. 29. h. t. Ratio est, quia dictæ decimæ formaliter sumptæ solo jure humano debentur huic vel illi clerico, aut ecclesiæ in specie, jure divino solum præcipiente, ut clericis loco Dei in signum universalis domini decimæ solvantur, relinquendo auctoritati ecclesiasticæ, quibusnam clericis in specie eas tribui velit; atqui contra jus humanum valet consuetudo legitime præscripta, per vulgaria, ergo.

125. *Decennio inter præsentis, et vicennio*

*inter absentes, si fit contra laicum vel causam non privilegiam.* — Quantum autem tempus ad præscribendas decimas requisitum; una responsione satisfieri non potest, sed distinguendum, et attendendum est, quisnam, et contra quem præscribat. Nam I. Si præscriptio fit contra laicum, vel contra clericum privatum, cui non de jure communi, sed aliunde v. g. privilegio, donatione, hæreditate, aut alio simili modo decimæ competunt; vel si fit præscriptio contra aliam causam profanam non privilegiam, sufficit decennium inter præsentis, et vicennium inter absentes; quisquis dein, sive ecclesia, sive parochus, sive monasterium, sive alius clericus præscribat. Rebuffus, *de Decimis*. q. 13, n. 100; Paulus Paris, vol. IV. consil. 25; Cuman. consil. 83; Engel, h. t. § 2, n. 21; König, h. t. n. 14. et alii. Ratio est, quia universaliter loquendo ad præscribenda bona immobilia privatorum sufficit præfatum tempus, prout amplius diximus, lib. II. tit. XXVI § 6, n. 4. et seqq. Nec refert, quod decimæ sint jus spirituale, ad quod præscribendum plus temporis requiri videtur per jura, lib. II. tit. XXVI. § 6. *de Præscript.* citata. Nam contra est, quod jura ibidem ad legata tantum sit intelligenda in casu, quo hujusmodi jura possidentur ab ecclesiis, vel aliis causis piis; vel quando jus specialiter favet illi, contra quem fit præscriptio, ac præscribenti resistit: non item si jus spirituale possidetur a privato nullam specialem juris assistentiam, vel favorem habente.

126. *Quadragesimo vero annis cum sola bona fide contra causam piam et ecclesiam non parochialem.* — II. Quando præscriptio fit contra aliquam causam piam, puta, monasterium, hospitale, capitulum, vel aliquam ecclesiam non tamen parochialem, requiruntur, et sufficiunt quadragesimo anni cum bona fide, quisunque dein sive alia pia causa, sive parochus, sive clericus privatus præscribat. Ratio est, quia universaliter loquendo ad præscribendas res immobiles contra ecclesias, vel alia loca et causas pias præfatum tempus sufficit, et requiritur, ut late probavimus lib. II. tit. XXVI. § 6. n. 162. et seqq.

127. *Contra ecclesiam autem parochialem quadragesimo anni cum titulo, aut tempus immemorabile requiritur.* — III. Quando præscribuntur decimæ contra ecclesiam parochialem, ordinariæ requiruntur quadragesimo anni una cum titulo, vel tempus immemorabile. Communis ac certa. Probatur ex illa regula

generali: quod ad præscriptionem contra ecclesiam requiratur dictum tempus cum titulo, quoties jus commune resistit, vel præsumptio est contra præscribentem, textu aperto c. 1. de *Præscript.* in 6. atqui jus commune resistit præscribenti decimas contra ecclesiam parochialem præbetque præsumptionem pro parcho contra præscribentem, hoc ipso, quod expresse statuatur, decimas de jure pertinere ad parochos, c. xxix, et c. xxx. h. t. ergo. Ex quo colliges differentiam inter præscriptionem decimarum contra ecclesiam parochialem, et non parochialem; quod nempe in præscriptione contra ecclesiam parochialem requiratur præter quadraginta annos, justus titulus; contra ecclesiam non parochialem vero sufficiat bona fides sine titulo. Ratio autem differentie est, quia pro ecclesia parochiali, non item pro alia adest præsumptio juris, ejusque specialis assistentia et favor contra præscribentem, prout cum aliis bene advertit Engel, loc. cit.

128. *Quid juris, si parochus præscribit decimas de bonis sui parochiani in alia parochia existentibus.* — Dicitur autem ordinarie, quia limitant docteres præfatam doctrinam in casu, quo parochus contra alterum parochum præscribit decimas prædiales de agris et fundis sui parochiani in alterius parochia existentibus; tunc enim (aiunt) sufficit ad præscriptionem inter præsentem, decennium, inter absentes vero vicennium. Abbas, in c. *Cum sint.* 18. n. 6. ad finem; Covarruvias, lib. I. *Variar. resolut.* cap. xvii. n. 8, § 8; Pirhing, h. t. n. 117, et alii. Rationem dant; quia in tali casu jus præscriptioni non resistit, sed potius assistit, utpote expresse declarans, quod in controversia, quis decimas de prædiis in alterius parochia sitis, percipiat standum sit consuetudini diu obtentæ, prout ex c. *Cum sint.* 18. et c. *Ad apostolicæ.* 20. h. t. jam dictum est supra n. 94. Tempus autem decem annorum est diuturnum seu longum, arg. l. I. c. de *Præscript. long. temp. decem vel viginti annorum.* in *Rub. et Nigr.* Abbas, loc. cit. et alii.

129. Quibus non obstantibus probabile est, etiam in hoc casu requiri quadraginta annos cum bona fide, licet non cum titulo; quamvis enim in tali jus non resistat præscribenti, sicque faciat, quod una cum quadraginta annis non requiratur titulus, sed sufficiat bona fides, tamen eundem non eximit ab alia juris dispositione, quæ universaliter vult, quod ad præscribenda contra ecclesiam

bona immobilia requirantur quadraginta anni cum bona fide, juxta dicta, et probata n. 126. Hinc sicut haud obstante, quod jus non resistat præscribenti decimas contra ecclesiam non parochialem, v. g. monasterium, requiruntur quadraginta anni cum bona fide; ita etiam non obstante, quod jus non resistat in controverso casu, præscribenti, quadraginta anni cum bona fide erunt necessarii. Secus ecclesia parochialis, contra quam præscribitur, foret deterioris conditionis in materia decimarum, quam alia ecclesia non parochialis; quod nullus dixerit.

## § VII.

## DE DECIMIS, QUAS LAICI HABENT: ITEM DE DECIMIS NOVALIUM.

130. *Laici non sunt capaces juris decimandi fundati in spirituali officio.* — Quæritur I. An etiam, et quomodo laici acquirere possint jus decimandi? Notandum prius, jus decimandi dupliciter considerari posse, videlicet primo quatenus est jus spirituale fundatum in titulo spiritualis officii seu obligationis ministrandi spiritualia. Secundo quatenus abstrahit ab omni titulo spirituali, prout nempe est jus percipiendi decimam partem fructuum in signum universalis domini Dei præstitam absque ullo respectu ad officium spirituale. Resp. I. Laici nullo modo sunt capaces juris decimandi in prima consideratione accepti. Ita certa et unanimis cum Glossa, in c. *Quamvis.* 17. §. *Concesserit*, h. t. habeturque clare statutum in jure per plures canones, uti can. 1. cau. 16. q. 7. ubi laici decimas possidere prohibentur, et oppositum facientes dicuntur « Sacrilégii crimen committere, et æternæ damnationis periculum incurrere, » idem desumitur ex c. *Ad hæc.* 15. et c. *Quamvis.* 17. h. t. ibi: « Nimis grave, et divini dignum animadversione judicii habetur, quod laici, quod sacerdotum est, in rebus Ecclesiasticis (de Decimis est sermo) usurpent. » Concordant, c. *Prohibemus.* 19. eod. c. *Causam.* 7. de *Præscription.* cum concordantiis. Ratio est, quia hoc ipso, quod laici officia spiritualia præstare nequeant, ex titulo officii spiritualis decimas percipere nullatenus possunt. Pirhing, h. t. n. 136; Suarez, et alii.

131. *Nec alia ratione illud acquirere valent.* — Resp. II. Etiam in secunda consideratione acceptum jus perpetuum decimandi

nulla ratione laici acquirere possunt, quam quasi privilegio, seu concessione Pontificis. Est communis, patebitque ex conclusionibus illico sequentibus. Ratio interea est, quia etiam decimæ, quæ in signum universalis domini absque respectu officii spiritualis dantur, ex præcepto divino dari debent clericis, et non laicis, prout constat ex dictis supra, clareque habetur in c. *Tua nobis.* 26. h. t. ibi: « Decimæ, quas Deus in signum universalis domini sibi reddi præcepit: » et infra: « Cum Deo debita sit solutio decimarum in tantum, ut ad eas clericis exhibendas, quibus eas ipse pro suo cultu concessit, etc., laici sunt cogendi: » ergo cum præcepto divino nemo contravenire licite valeat, jus perpetuum decimandi laicis nemo dare, consequenter nec ipsi ulla ratione acquirere possunt, nisi quasi privilegio seu concessione summi pontificis. Nam.

132. *Quam privilegio summi pontificis.* — Resp. III. Licite et valide potest summus Pontifex laicis non tantum in feudum et emphyteusim, sed etiam perpetuo donare jus decimandi in secunda acceptione considerata, si ita exigit bonum Ecclesiæ. Omnes. Patet multiplici experientia, quia videmus, quod varii pontifices diversis regibus, principibus, ducibus, nobilibus, ob eorum præclara merita, vel beneficia in ecclesiam collata, aut quando alias ita exigebat ecclesiæ bonum commune, perpetuo concesserint laicis jus decimandi cum potestate transferendi illud successoribus suis. Ex quo venit, quod multi adhuc laici principes, et nobiles jus decimandi possideant, illoque perpetuo fruuntur.

133. *Solvitur objectio.* — Dices juxta num. præced. decimæ in signum universalis domini debita ex præcepto divino solvi debent clericis: ergo Papa illas percipiendi jus perpetuum tribuere non potest laicis, eo quod in jure divino dispensare nequeat. Ad hanc objectionem respondetur eo modo, quo supra n. 86. ubi vide. Quibus tamen adde, quod a plurimis jam annis Pontifices laicis jus decimandi perpetuo concedere et donare non amplius soleant, sed tantum ad tempus loco subsidii, v. g. tempore belli, quod catholici principes contra infideles, hæreticos, aut alios Ecclesiæ hostes pro totius Ecclesiæ bono communi gerunt: vel ad summum in emphyteusim, vel feudum pro reciproca recognitione alicujus obsequii Ecclesiæ præstandi; prout communiter advertunt docto-

res. Poro si quando Pontifex decimas ab aliqua Ecclesia vel ex toto, vel ex parte auferens tribuit laicis necesse est, ut dictis clericis Ecclesiæ ministris alia honestæ sustentationis subministrantur media, nisi aliunde sufficientes jam haberent redditus ecclesiasticos; prout cum aliis bene observat Layman.

134. *Episcopi et alii ecclesiarum prælati olim poterant dare laicis decimas in feudum: sed hodie non amplius possunt.* — Resp. IV. Quamvis olim episcopi, ac alii ecclesiarum prælati jus decimandi in feudum, vel emphyteusim perpetuo concedere potuerint, hodie tamen a tempore concilii Turonensis celebrati sub Urbano II, anno 1096, vel saltem a tempore concilii Lateranensis celebrati sub Alexandro III, anno 1179, teste Covarr., lib. I. *Variar. resolut.* cap. vii. n. 4, et Barbosa, in c. 1. de *His, quæ fiunt a prælat.* n. 2. id sine consensu summi Pontificis facere amplius non possunt. Prima pars, quod olim potuerint, desumitur ex c. *Tua.* 25. h. t. ubi supponitur, quod ab antiquo decimæ in feudum laicis dari potuerint: et constat ex decreto Urbani II. revocantis dictam potestatem, uti legere est in lib. I. *Feud.* tit. VI; deestque Zoesius, h. t. n. 4; Covarruvias, loc. cit.; Azorius, part. I. lib. VII. cap. xxxvi. q. 12; Pirhing, eod. n. 139. et communis aliorum. Rationem dat Suarez, quia episcopus in sua diocesi idem facere potest, quod Papa in universa Ecclesia, nisi a jure, vel aliunde prohibeatur. Altera pars, quod de facto non amplius possint, patet et citato decreto Urbani II, relato in lib. I. *Feud.* tit. VI. Vel si cum aliquibus dictum decretum non receptum contendis, ex concilio Lateranensi relato c. *Prohibemus.* 19. h. t. ubi dicitur, quod laici decimas sibi concessas illicite possideant; at non illicite possiderent, si prohibitio concedendi facta non esset. Eadem pars liquet ex c. *Ad hæc.* 15. et c. *Quamvis.* 17. eod. ubi ecclesiarum prælati graviter increpantur, et maxime delinquere dicuntur, quia decimas laicis concedunt. Concordant c. *Cum Apostolica.* 7. in fine. de *His, quæ fiunt a Prælat.* et c. ii. § *Sane*, in. h. t. in 6. Ratio autem hujus prohibitionis fuit abusus, et nimia prodigalitas prælatorum in concedendo laicis jus decimandi cum gravi dispendio ac præjudicio status clericalis.

135. *Decimæ ab episcopis olim laicis concessæ, licite etiam hodie ab eis retinentur.* — Resp. V. Licet episcopi, alique ecclesiarum prælati hodierno jure jus decimandi laicis in